

ex alveolarum margine orientibus, villosum. *ACHÆNIA* difformia, *radialia* involucri squamis navicularibus subinvoluta, persistentia, suberostria, pappo pl. brevior ac in achæniis disci munito et hinc inter *Crepides* simili se habens modo, ac *Medicusia* Mœnch inter *Picrides*, *reliqua* articulate cum receptaculo juncta longe rostrata.

HERBÆ annuæ, graveolentes, europæo-mediterranæ.

Obs. *Wibelie* synonyma sunt: *Hostia* Mœnch, Meth. suppl., p. 221 (an. 1802); Cass., Dict., 21, p. 442. — *Dysodea* Borkhausen, Tentam. dispos. plant. German., p. 128 (1809). — *Anisoderis* Cass., Dict., 48, p. 429 (an. 1827); DC., Prodr., 7, p. 157 excl. *Barkhausia* Link, Enum. II. berol., p. 290, *Crepideas* diversissimas amplectens et tantum ex parte huc spectans.

Obs. Duæ hujus subgeneris species hucusque in Canariis observatæ: *Crepis foetida* Linn., et *Cr. juvenalis* Fr. Guil. Schultz, quarum notæ essentialia analysi sequente illustrandæ. Rostrum piliforme gracillius adhuc est quam rostrum filiforme.

DIVISIO I. *EUWIBELIA*. SCHULTZ BIP.

*Wibelia* Fl. Wetter. l. c. Capitula ante anthesin nutantia.

1. *Crepis rubra* Linn. *Achænia* sensim in rostrum filiforme abeunt.
2. *Crepis foetida* Linn. *Achænia* abrupte in rostrum piliforme attenuantur.

DIVISIO II. *DELILEOCREPIS*. SCHULTZ BIP. MS.

Sec. amicam acutiss. Delile, qui speciem primam hujus divisionis prope Montpelium lectam, publici fecit juris.

3. *Crepis juvenalis* Fr. Guil. Schultz. *Achænia* sensim in rostrum filiforme abeunt.
4. *Crepis rodigioides* C. H. Schultz Bip. *Achænia* abrupte in rostrum piliforme attenuantur.
5. *Crepis Candollei* C. H. Schultz Bip. Cf. infra obs. 3.

Obs. 1. *Crepis rubra* Linn., in pascuis et secus vias in regione crateris mediterranei boreali-orientali crescens, diagnosi sequente ab affini *Cr. foetida* Linn., distinguenda:

Annua, capitulis ante anthesin nutantibus, achæniis sensim in rostrum robustum elongatum filiforme abeuntibus, periphericis vero suberostriis, foliolis involucri exterioribus ovato-lanceolatis, subacuminatis, margine scariosis, patentibus, floribus incarnatis.

Obs. 2. *Crepis rodigioides* C. H. Schultz Bipont. in *Kotschy* pl. alepp. ed. cl. Hohenaker n. 178.

*Cr.* annua, capitulis semper erectis, demum ovalis, achæniis abrupte in rostrum piliforme abeuntibus elongatum, periphericis vero suberostriis, foliolis involucri externis lineari-lanceolatis glabriusculis adpressis, internis farinaceo-pubescentibus inferne quandoque pilis parvis obsitis glanduliferis. (Habitus *Rodigiæ* commutatæ Spr., sed glabrescens, receptaculum epaleatum, involucrium subfarinaceum non setosum, capitula semper erecta.)

Var. 1. *Kotschyana*, caule spithameo, dichotome ramoso, foliis subhirtis, dentato-pinnatifido-laceris, ramis nunculo-sagittatis, pedunculis elongatis. — In graminosis et lapidinis pr. Aleppum, 30 Aprili: *Kotschy* 1 pr. Brussa: *Thirke* pl. Bithyn. pont. ed. C. Koch n. 50.

Var. II. *Thirkeana*, vix palmaris, foliis subintegris, caulibus pluribus, 1-cephalis, capitulis minoribus: *Thirke*. Cum priore in pl. Bithyn. pont. n. 63, ed. C. Koch. an. 1845.

Obs. 3. Cum inscriptione: • *Crepis foetida*, pedunculis ante anthesin erectis • anno 1845 ab amiciss. *Bischoff* plantam accepi e seminibus *Barkhausiæ Candollei* hort. halensis in horto Heidelbergensi enatam. Stirps pedalis cum forma *Crepidis foetidæ glandulosæ* comparanda, sed ob capitula semper erecta certo certius distinctissima. = *Crepis Candollei* C. H. Schultz Bipont. forte tamen cum *Barkhausia Candollei* Spr. identica, licet cl. auctor plantam suam cum *Crepide glandulosa* Guss. jungat, quæ varietas *Crepidis foetidæ* est.

